

missimis demonstravit, quod idem etiam *Keplerus*, *Longomontanus* & alii præterea Physici non minus quàm Astronomi præstiterunt, observationibus suis Tychonis sententiam confirmantes, atque Cometas corporibus cœlestibus accensendas esse adeò perspicuè demonstrantes, ut inter doctos hodie nemo facile sit inveniendus, qui non relictis hac in parte castris antesignani cum recentioribus facere cogatur.

Palmarium est, quo in aliam à veteribus sententiam trahimur, argumentum, quod Cometæ aut planè nullam, aut saltem perexiguam, eamque lunari plerumque minorem habeant parallaxin. Cùm verò parallaxeos quantitas in majori distantia minuat, in minore augeatur, adeoque vicissim minor parallaxis majorem distantiam arguat, major minorem, sequitur etiam Cometas vel supra, vel saltem prope Lunam in Cœlo consistere inibi que motus suos exercere. Sed ut major huic assertioni fides habeatur, quid Parallaxis sit, & quomodo distantiam Phænomeni prodat, antequàm progrediar, paucis explicabo. Parallaxis, ut brevissimè loquar, nihil aliud est, quàm apparitionis diversitas, quàm locus phænomeni propioris, propter notabilem superficiem terrestris è quâ observatur à centro exaltationem sive distantiam, ad Horizontem depressior apparet, quàm revera est, si phænomenon ex ipso centro spectetur. Vel, si Mathematicè definire licet, est *arcus circuli in Cœlo magni, inter locum sideris verum & visum interceptus.*

Hic primùm quid Locus phænomeni vel sideris sit, & quomodo dicatur considerandum venit. Notum autem est, quod stellarum & quorumcunque in sublimi apparentium *Φαινόμενα* Loca penes Philosophos præcipuè tripliciter accipi soleant, nempe physicè, astronomicè, & opticè. *Locus* alicujus Phænomeni *physicus* nihil aliud est, quàm superficies autæ circumfusæ corpus phænomeni immediatè ambientis, vel spacium illud in quo corpore consistit phænomenon. *Locus Astronomicus* est punctum Eclipticæ (unde etiam locus eclipticus dicitur) monstratum à circulo latitudinis, transeunte per centrum phænomeni, & polos Zodiaci, cujus respectu vel beneficio phænomenon certam longitudinem & latitudinem in Cœlo habere dicitur. *Locus opticus* est punctum in superficie primi mobilis vel octavæ sphaeræ